



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

Typographus Ad Lectorem, De Hacce Nova Editione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

T Y P O G R A P H U S

A D

L E C T O R E M,

DE HACCE NOVA EDITIONE.

DE prima hujusce Opusculi Editione paucula post Latinum Interpretem præfari necesse visum est. Illud nempe Autor ipse primùm evulgavit *Parisiis* an. 1687. in 12. 2. Vol. Sed in præfixa Admonitione observat, jam ante decennium sub nomine *Bonelli* prodidisse. „Nescio, inquit, an revera extiterit *Bonellus* iste; verum id probe novi, scilicet Opusculum sub ejus nomine editum, à me & in meos usus conscriptum fuisse anno 1668. absque ullo consilio ut in lucem proferretur; atque etiam me inscio lucem vidit.„ Prima hæc Editio, alterâ quæ *Fleurianum* nomen præ se fert, multo brevior, sic inscribitur: *Institution du Droit Ecclesiastique de France, composée par feu Mr. Charles Bonel Docteur en Droit Canon à Langres, & revû avec soin par Mr. de Massac ancien Avocat au Parlement.* Paris. 1677. in 12. In Præfatione legitur, librum hunc ante obitum *Bonelli* non editum, diu in ejus musæo varias inter chartas neglectum fuisse; et exemplar autographum postea transiisse in manus *D. Massaci*, ab ipso per biennium fuisse detentum, postea verò Editori, cujus curis evulgatum est, traditum, cum approbatione data *Parisiis* 15. Julii 1679. *Bonellus* autem fictitius homo creditur; *Angelus* verò *Massacus*, *Parisiensis* Causidicus fuit, natus circa annum 1600. & anno 1676. denatus; de quo *Abbas Marollus* loquitur, tanquam de amico singulari, quocum Humaniores Literas absolverat in Collegio *Marchiano* *Parisiensi*. Liber ipse *Fleurianus* Compendium est, *Practica Juris Canonici, ad usum hodiernum accommodata.*

DE ejus vita scriptisque consulendus, præter *Dupinium* à *Cl. Grubero* citatum, *Nicevoni* in Commentariis ad *Hist. Virorum Illustrum Tom. VIII. & X.* cui addendum est, rursus excusum fuisse Gallicum exemplar *Lugduni* 1712. in 12. & *Bruxellis* 1722. in 8. 2. Vol. Versio autem Latina, quam omisit, primùm lucem adspexit *Lipsiæ* anno 1724. ac secundo 1733. in 8. quam secutus sum, & accurate recudendam curavi, cum nitidiori & meliori charta.

E L E N-